



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De benedictione & Consecratione aquæ Baptismatis, & de Columna
candelæ cereæ 60

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Septima Pars.

De Consecratione aquæ Baptismi & columnæ cereæ.

C. A. P. LX.

SERTIMA Accusatio est de Consecratione aquæ Baptismi & de Columna cereæ candelæ, quorum utruinque admodum antiquæ obseruationis est. Et tamen de utroque nihil amplius in S. literis traditum est, quam quod D. Paulus 1. Tim. 4. docet de sanctificatione omnium rerum per verbum & orationem. Aduersarij verò Consecrationem istam peregrina lingua administrant, contrà consuetudinem antiquorū. Adhac è superstitionis apud plerisque deuenit, quasi per eam peculiaris quædam vis aquæ tribuatur, & Baptismus simplici aqua iuxta verbum Domini ministratus, non tam bonus atque efficax sit, quam qui cum aqua consecrata datur. Is autem grauis abusus est, & fidei in Christu n horrenda offenſio.

Quod si verò per hanc Consecrationem vera ædificatio in Ecclesijs Christi promoueri posset, de precatione aliqua scripturæ consentanea conueniendum esset, in qua Dominus inuocaretur, ut daret, quod aquæ ad S. Baptismum salutariter nobis inseruiret, iuxta verbum ipsius: ita ut nihil ulterius ibi fieret, quam quod D. Paulus docet, cum inquit, Quod omnia quæ Deus in usum & utilitatem nostram condidit, per verbum & orationem sanctificantur: omnisque abesse superstitione.

Multa signa adhibere, ut Unctionem Olei, Exultationem, Cereorum insertionem, aliisque id genus plurima, de quibus nullum extat mandatum Domini: cumque multa externa & significantia signa usurpare, Iudaicum potius sit quam Christianum: adhac cum ea populus non intelligat, certè in eorum usu & obseruatione magis incredulitatis & Iudaicæ scrupulæ discrimen, quam Christiana ædificatio expectanda est. Nam verò contra Deum est, non omnia eiusmodi pericula euitare, ac non potius certam ædificationem querere.

Finis omnium Ecclesiasticorum rituum est ædificatio fidei in Christum 1. Cor. 14. quam longè melius per simplex ac probè intellectum verbum Dei in populo promouere possumus: quam si plurima adhibeamus muta signa, præsertim si mystica, eorum significatio populo non explicetur, quemadmodum apud Aduersarios fieri solet.

Quando de Columna Cereæ candelæ Prudentium citant, nimis latè versus eius extendunt. Illi enim tātummodo de cereo paschali sonant, cuius olim usus in Ecclesia fuit, quando tota nocte paschali habebantur vigiliae, ut hominibus lucem præberet. Hanc veteres, quemadmodum omnes alias res, per verbum & orationem sanctificarunt. De hac vero cedula cerea, quam homines persuasi sunt, ut infantibus ad Baptismum præferat, ut ea sicut in quibusdam locis fieri solet, Pastoribus relinquatur: & quæ aliis in locis ad id adhibetur, ut infantes legitimè natu-

nati ab illegitimis discernantur, in aliis denique ob alias quasdam iu-
pias causas usurpat, de ea, inquam, nec Prudentius, nec alias qui quam
ex antiquis vel verbo mentionem fecit. Probè inspiciantur verius, quos
Aduersarij adduxerunt, qui ita incipiunt:

*O res digna Deus, quam tibi roscida
Noctis principio gressus tuus offerat, Lucem, &c.*

Totus enim iste hymnus de iis tantummodo candelis cauit, que olim
in nocte Paschali ad tenebras depellendas accendebantur. In quibus
piè ac Christianè seipso admonuerunt Christi Domini, lucis mundi:
que in modum etiam columnæ ignæ, per quam Deus populum suum
eduxit ex Ægypto, & quæ typum gerebat Christi. Verum de talibus re-
bus ne verbo quidem docent Aduersarij populum, sed tantummodo
mutis quibusdam & non intellectis signa omnia sua perficiunt.

Decima pars.

De veste alba.

C A P. LXI.



S u s vestis albæ etiam peruetustus est. Verum quantum
magis necessarium est, de eo elaborare, quomodo Chri-
stum Dominum induamus, eoque conuestiamur? Eò
sunt omnia in libro Reformationis, idque iuxta eam ra-
tionem ac formam quam ipsum verbum Dei præscri-
bit, quod de veste alba nullam mentionem facit.

De pluralitate signorum, quæ ad administrationem Baptismatis accesserunt, generalis responsio.

C A P. LXII.



E T E R E s ad excitandam & augendam religionem
deuotionemque populi apud Baptismum, & ad maiore
administrationi mysterioque illius authoritatem & so-
lennitatem conciliandam, plurima signa, & spirituales
ceremonias adhibuerūt. Eas vero diligenter quoque ac
fideliter populo explicauerunt, & ad verè fidelem præsentiam, omni-
modumque fidei in Christum edificationem, cū perspicuis & intelligi-
bilis lectionibus, orationibus ac hymnis excitarunt & adduxerunt.

Aduersarij vero longo iam tempore hęc signa & externos ritus sine
intellectu, sine deuotione, sineque omni ædificatione, imò partim ad
ludicrum, partim ad impium & superstitionis spectaculum usurpa-
runt. Quamobrem neque de S. Patribus gloriari, neque eorum autho-
ritatem istis Ecclesiis obiicere possunt, que mysteria & dona Dei apud